

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA QVARTA HEBDOMADAE PRIMAE, EPISTOLA, EXOD, 24.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

be illi inuiderent, ostendit Euangelium praeiens admiranda Christi contra Scribas & Phariseos responsionem, qua ipsorum sycophantias, adinventiones quaestuosas, technas & calumnias refutat autoritate scripturae, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Item Psal. 8. *Nunquam legisti, quia ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?* Unde eius agnoscere licet iudicium, quo iustissime facit, ut qui vident caeci fiant, Iohan. 9. id est, Scribas & Phariseos, qui externa vitae sanctimonia, autoritate iudiciaria, & propria iustitia freti Christum contempserunt, & suam volentes statuere iustitiam, Christi iustitiae, virtutum, ac meritorum non sunt facti participes, sed propria ipsorum malitia obdurati & excecati, suo merito sunt relictii, quia semper resisterunt Spiritui sancto, ut merito ipsos caecos ac duces caecorum vocaret Christus.

Ab inobedientibus ergo ad obedientes se confert, & inter illos versatur. Nam (teste Hiero.) tanta fuit paupertas, & ita nulli adulatus fuerat, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullaue inueniret mansionem: Abiit in Bethaniam, relictis inimicis. Malos enim homines melius locum dando, quam respondendo quis vincere potest, quia malitia sermonibus non instruitur, sed excitatur, Chrysost.

EPILOGVS.

Euangelica haec historia enarrauit, quomodo Christus ex zelo quo affectus erat erga Patrem, ingressus templum, primo inde videntes & ementes deturbauit, ibique abusus correxit, a sanctuario (sicut Exod. 9. mandauerat) incipiens. Secundo male habentes curauit, qui tum demum, reformatione scilicet facta, optime curantur. Tercio laudem Dei cui liuidi Pharisei derogaueunt, asseruit. Ut ergo & nos possimus dicere cum David rege, *Laus eius semper in ore meo*, Psal. 33. incumbit nobis, ut vitam nostram corrigamus, templum Dei prophanatum, & meretricis corpus sacrum, Christo subtrahit reconcillemus in specie, quia non est pulchra laus Dei in ore peccatorum, Ecclesi. 15. & innocentiae fontem maxime deceat per innocentes in astra extollere. Sic enim tandem videbimus Ecclesiam reformatam in genere vniuersam. Hoc ut fiat, facit omnipotens Deus.

FERIA QVARTA HEBDOMADAE PRIMAE, EPISTOLA, EXOD. 24.

E

Apologia Christi contra inimicos suos.

Scriba & Pharisei sua ipsorum malitia excecati & relictii.

Christus Hierosolymam nec hospitium nec mansionem inuenit. Mali homines cedendo quam respondendo magis vincuntur.

Zelus Christi erga patriam. Laudem Dei asseruit Christum.

In diebus illis, Dixit Dominus ad Moſen,
 Aſcende ad me in montem, & eſto ibi, dabo-
 que tibi duas tabulas lapideas, &c. Finis Epi-
 ſtolæ: Et fuit ibi quadraginta diebus & qua-
 draginta noctibus.



pistola hæc, quæ de donatione legis, & quo-
 modo, & in quem finem data sit, agit, oſten-
 dit tria perquam necessaria dogmata.

Cura & so-

licitudo Dei. Deus vineæ electam & populum acquisitionis, ereptū de
 quam habet. fornace ferrea, & domo seruitutis sit tutatus, non solum
 pro populo magistratu Polytico quem gerebāt Moſes, Iosue, & 70.

ſeniores, Exod. 18. & Eccleſiaſtico, quem gerebant Aarō,
 Eleazar, & Tribus Leuitica, verū etiam legis custodia,
 quæ licet neminem ad perfectum adduceret, propter
 tranſgreſſionem tamen poſita, vt loquitur Apoſtolus, e-
 rat ſancta, iuſta & bona, vt pote à Deo profecta, qui eſt

Rom. 7.

ipſiſſima ſanctitas, iuſtitia ac bonitas. Tum etiam ſi ip-
 ſius finē, ob quem à Deo eſt euulgata, perpendas, quem
 fuiſſe docet Apoſtolus charitatem de corde puro, con-
 ſcientia bona, & fide non ficta. Quanquam enim hanc

Finis legis
 charitas. nunquam ſunt conſequuti Iudæi, duri & incircumciſi
 corde, & auribus ipſorum id vitio accidit, non legis:
 quod oſtendit Deus, dū in tabulis lapideis, clangore tu-
 barū, mōte fumigante & fulgure & tonitru p̄mulgaret.

Vt enim frangeret hanc ipſorū duritiā, & cōſcientias
 ipſorum terreret, ac probaret vtrum diligenter eum an-
 non, ita deſcendit. Quod autem potiſſimum Moſen &
 Iosue voluerit huius eſſe miniſtros, cōſque ad ſe ea de

cauſſa vocarit, ſignificare voluit officium eſſe magi-
 ſtratus Polytici, leges non proprio ingenio excogita-
 tas, ſed diuinitus acceptas eſſe populo dandas, ac iuris

Polytici de
 Dei lege. ſeueritate conſeruandas, Romanorum 13. Digreſſio-
 ni locus eſt de officio iudicum. Amplifica, repete,
 & exhortare.

Bellua mul-
 torū caputū
 Reſpub. 2. Secundō, Oſtendit quōd Reipublicæ adminiſtra-
 tio eget authoritate miniſtrorum. Bellua enim eſt mul-
 torum capitum Reipublicæ, Ideō deceſſurus in mon-

tem ad Dominum Moyses, magna sollicitudine præficit Aaronem, tanquā in rebus spiritualibus summum Præfectum: & Hur, cui civilium quæstionum descendendum auctoritatē celsit. Pereat enim necesse est Republica, si duo hæc, sine quibus cōstare nequit, fulcra corruant, nepe Religio, quæ in vero cultu rerū diuinarū cōsistit, videlicet, verbo Dei, legitimo sacramentorum vſu & pietate quæ secundum Deum est. Est enim Pontificū, Episcoporum, Pastorum, & Concionatorum, fidei quæstiones ex præscripto verbi Dei, diffinitionibus Ecclesiæ & conciliorum, gladio spiritus dissecare, Deut. 17. Et iustitia, quæ bonis sua tribuit præmia, & malis sua supplicia: Quemadmodum eleganter, 2. Paralip. cap. 19. præscribit Iosaphat, vbi iubet non ex affectu, sed cum timore Domini, diligentia, & iustitia ius cuique administrare, idque sine cupidine munerum, Deut. 16. Exod. 13. Leuit. 19. Ecclesiastici 20.

Quod verò Moyses instinctu spiritus Aaronē præfert, nec tamen diuelli ab eo vult Hur, significare voluit præter prerogatiuam Ecclesiasticæ dignitatis concordiam, unitatem, & pacem, quæ in omni Republica esse debet inter vtrūque magistratum, qua sublata, corrumpunt res magnæ ac prorsus dilabuntur, Luc. 11. ea verò incolumi, res parue crescunt, Authore Salustio. Neque verò hanc coniunctionem quis ita interpreteretur, vt sacra prophanis misceat. Iniquum enim est Senatū prophanum vel le subuertere iura Ecclesiastica, & Ecclesiasticum velle subuertere iura civilia vel polytica. A tribus, inquit Ecclesiasticus cap. 26. timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit, delaturam ciuitatis, collectionem populi, calumniam mendacem, &c. Idem cap. 25. In tribus beneplacitum spiritui meo, quæ sunt probata corā Deo & hominibus: cōcordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes.

3. Tertiò, Ostendit quomodo mons Synai, quē Apost. Galat. 4. comparat Agar in seruitutem filios generanti, gloria Domini illustratus, significare videtur (alius enim hic assurgere oportet, quando & Paulus hic allegoriam est sequutus) eos, qui per gratiam Christi non tantum essent futuri legis auditores aut serui,

*Reipublicæ
administratio
eget auctoritate
miserarum
Ecclesiasticorum
& Polyticorum.
Pontificum
& Pastorum
officium.*

*Concordia,
pax & unitas,
inter vtrūque
magistratū esse
debet.
Salustij sententia
vixissima.*

*Mons Synai
quos
significat.*

FERIA QUARTA

sed factores & filij, ablato velamine. Quo fit vt hīc vī-
deamus tantum per speculum in ænigmate, 1. Corinth.
13. accepta libertate spiritus adoptionis filiorum Dei, in
quo clamamus Abba pater, Rom. 8. quandoque trans-
ferendi ad gloriam illam cælestem per Christum para-
tam, Iohan. 14. quam nec oculus vidit, nec auris audiuit,
nec cor hominis comprehendit, Isa. 64. vbi erunt iuxta
Christi promissionē æquales angelis Dei, Matt. 24. ful-
gentes sicut stellæ in firmamento, Daniel. 12. tecti meri-
rito sanguinis Christi, id est, beati, quia tecta, id est, de-
leta erunt peccata, Psal. 31. & immortales, 1. Cor. 15. sex
diebus, quemadmodum hīc Moyses, donec die septimo,
id est iuxta B. Augustinum, ipso magni iudicii die, in re-
surrectione vocetur de medio caliginis, vt mortale hoc
induat immortalitatem, & fiat sermo qui scriptus est:
Vbi est mors victoria tua? &c. Osee 13.

*Dies extre-
mus cur re-
demptionis
dies dicitur.*

Interim enim sancti licet reuelata facie gloriā Do-
mini cōtemplentur, vt habet fides Catholica, desiderio ta-
men assumendi corporis tanguntur, atque euocari illud
de medio caliginis & sepulchri petunt. Idēdō Christus
hunc diem, Luc. 21. vocat diem redēptionis iustorū, Le-
uate, inquit, capita vestra, quoniam appropinquat redē-
ptio vestra, Interea spes gloriæ Domini est Israëlitis se-
cundū spiritū, hīc videlicet adhuc pugnantibus, & cre-
dentibus per fidem, nondū per speciem cernentibus in-
star ignis, dū scilicet, per varias tribulationes, angustias,
præssuras, & afflictiones, quibus excoquit ad purū pec-
cati scoriā instar ignis, qui piis sit ad probationem,
impiis verō ad interitum.

EPILOGVS.

*Magistrat-
Ecclesiasti-
cus & poly-
ticus cur po-
pulo præfi-
ciatur.*

Sollicitudo & cura Dei pro populo suo, quia legem ei tradidit,
quam obseruent, viamque ostendit per quam ambulent: cui etiam
presedit magistratum quum Ecclesiasticum, qui legem ipsam in-
terpretaretur, tum Polyticum, qui eandem legem tueretur, eiusque
obseruantissimos deffenderet: contemptores verō pœnis afficeret:
Quales fuerunt Aaron & Eleazar, & Tribus Leuitica, in rebus
spiritualibus: Moyses, Iosue, & 70. Seniores, in rebus civilibus aut
polyticis: Quod & Moyses, ascensus in montem, sedulo fieri cura-
uit exemplo Dei edoculus, præficiens Aaronem pontificem, qui ea
que ad religionem & ad Dei cultum spectarent, curaret, et Huius

*Politicum, qui res civiles tractaret, ne populus Domini esset, sicut
ues absque pastore. Numer. 27. Omnis enim Respub. sine his du-
obus consistere nequit, religione nimirum & iustitia, quæ ita sibi
mutuo coherere debent, ne alterum alteri præiudicium faciat.*

FERIA QUARTA HEBDOMA.

DAE PRIMAE, EVANGELIUM,

Matthæi 12.

*Tunc responderunt ei quidam de Scribis &
Phariseis, dicentes, Magister, volumus à te si-
gnum videre, &c. Finis Euangelij: Quicun-
que enim fecerit voluntatem Patris mei qui in
cælis est: ipse meus frater, soror, & mater est.*



ECTIO præfens Evangelica secundum hi-
storiâ Iudæos præsertim taxat, qui noluerūt
credere, nisi vidissent signū, quibus et si sæpe
fuissent data signa, nihilominus tamē ipsi in
suo errore perstiterunt, in qua Christus agit quatuor.

1. Primò, Docet iudicium carnis odio, invidia, & ma-
levolentia excæcata, non intelligere quæ sunt Spiritus
Dei, 1. Corinth. 2. & 3. Quo fit, ut neglecto Dei verbo si-
gnis firmiore, 2. Pet. 1. petant à Christo signa & prodi-
gia, dicentes, *Magister, volumus à te signum videre*, Quod
scilicet excedat facultatem naturæ creatæ. Verum cum
hæc non peterēt ad fidei, doctrinæ, & veritatis confirma-
tionem, quarum causa Deus Opt. Max. non in nouo
tantum, sed & veteri testamento solet hæc beneficia cō-
cedere Ecclesiæ: sicut dum lex promulgaretur, audie-
bantur tonitrua, micabant fulgura, tubarum clangor
perstrepebat, & mons fumigabat: Quæ partim ob du-
ritiam populi indicandam, partim ob legis conscien-
tiam terrentis naturam significandā à Deo fiebant. Sic
voluit Christus Enāgelij prædicationē signis confirma-
ri, donec ea satis altas egisset radices, Marc. 16. Ideoque
Paulus docet ea non fidelibus dari, qui contra spem (ut
de Abraham testatur idem Apost. Rom. 4.) in spem cre-
dunt, qui contempta vtilitate humanarum cogitationū,
ad fidei altitudinem adsurgunt, & toti etiam in summa
rerum desperatione constituti, ab ipso Deo dependent

Iudicium

*carnis non
intelligit
quæ sūt Sp̃s
ritus Dei,*

*Signa data
non fidelib⁹
sed infide-
libus.*

sed ea docet dari infidelibus, quorum inquinata mens est & conscientia, ad Tit. 1. Quibus opertum est Euangelium Dei, quibus Deus huius seculi excacauit mentes, ut non fulgeat eis lux Euangelij, 2. Corinth. 4. quemadmodum hi Pharisei: quo fit, ut apertissimis signis magna peruicacia resistant, proprio iudicio excacati. Hinc factum est, quod non solum illis petitiu signum negauit, verum etiam acriter propter postulationem eam increpauit, generationem eos prauam, & adulteram vocans, utque Domino Deo instar adulteræ illudere verita non sit. Iudæi nanque bona ex parte Domino Deo semper cōitarij sunt inuēti, lubricę fidei, & perfidi homines, Iudaicum hoc ingenium, inculatur etiā Dominus, Deu. 32.

2. Secundō, Proponit seueritatem Dei erga incredulos qui veritati Dei in mendacio detinebant, dum ait: Signum non dabitur generationi huic prauę, quę semper resistit Spiritui sancto: Prophetas occidit, Matth. 23. Dominumque occidit Iesum, 1. Thessal. 2. atque adulterę, quia mutauit gloriam Dei in idolum, Hiere. 2. Fontem aquę viuę dereliquit, coluit Baal, Ascaroth, omnemque militiam cæli, 3. Reg. 12. 1. 7. Ezech. 8. 23. Sed nō potuit obliuisci misereri Christus, siquidem missus erat ad ones quę perierunt domus Israël: proinde ne quam excusationem de peccato suo habere possent, Iohan. 12. signum promittit, scilicet, Iona Prophetę, sed quod videntes non viderent & intelligentes non intelligerent: Quale olim etiam fuit illud de Haalma Mana Achaz regi datum, Isa. 7. Pollicetur autem signum Prophetiç, ut agnoscerent, quocum sibi negotium esset: scilicet cū Deo, qui posset occulta cordium ac renes ipsos rimari, Hiere. 17. abditi sinuque ipsorum cogitationes prodere: & cum homine, qui posset iram patris æterni, à quo erat in mundum missus, sua morte placare, ut merito agnoscere possent ipsum esse maiorem Iona Prophetę, qui morte sua Christi typum tantum expressit, dum absorptus à ceto, terrę est restitutus, qui predicatione quoque sua impios Niniuitas ad veram pœnitentiã sine vllis signis adduxit, Ionę 3. & Salomone Rege, qui pacifico imperio Christum adumbravit, sapiētia illa expressit, in quo sunt omnes thesauri sapiētię & scientię Dei

*Seueritas
Dei erga in-
credulos.*

*Iona 2.
Signū sibi
datū nō in-
tellexerūt Iu-
dæi.*

*Christus
maior Iona
& Salo-
mone.*

reconditi, Collof. 2. qui etiā prudentia sermonis videtur Reginā Saba ad veri Dei cognitionem adduxisse.

3. Terriō, Commēdat iustitiam diuini iudicij, qua sententiam damnationis pronuntiat contra rebelles & incredulos Sacerdotes, Scribas & Phariseos, quorum tanta fuit contra Prophetas à Deo missos ad veritatem annuntiandam, contra Christum doctrinam suam cælestē miraculis confirmantem: atque cōtra Apostolos Euangelium & sacramentorum doctrinam sanguine suo statuentes, rebellio, vt manifestæ veritati semper resisterent, Act. 7. Matth. 23.

Proinde sententiam à Christo contra ipsos pronuntiandam in die iudicij confirmabunt viri Niniuitæ, homines scilicet, barbari, infideles, nullaque lege instituti, qui comminatione futuri excidij audita ab homine obscuro, & multis miraculis claro, mox tamen pœnitentiam egerunt, qua non tantum letam sententiam euaserunt, sed & peccatorum remissionem sunt consecuti. Confirmabit etiam eadem Regina Austri, qua (Iosepho teste) Aethiopiæ & Aegyptio imperauit, mulier imbellis, sexu fragilis affluera deliciis: sola tamen audita fama Salomonis, tantum laboris suscepit vt ipsum audire admiraretur, & tantum non obstupesceret ad illius sapientiam, quam tamen impij Principes, Sacerdotes, Scribæ & Pharisei Christum verum Dei filium, sese verum esse Deum & Messiam promissum diuina virtute testantem, spreuerint ac contempserint. Rectè ergo Iudæorum grauissimū erit iudicium, quod apud eos tanti non fuit Euangelij Christi eiusque cælestis sapientia, quāti apud Niniuitas vnus lonæ vnici verbū, & apud Reginā Saba sapiētia Salomonis. Niniuitæ itaq; atque Regina Meridionalis plagæ, regionis nēpe, Sabæ, ad Austrum sitæ, in extremo iudicio iudicabunt Iudæos, hoc est, ex Niniuitarū respiscētia, & Reginæ Sabæ sapiētia Salomonica desiderio, cōdemnabilis apparebit Iudæorū pertinaciā, atq; contemptus. Rationē addit Christus, d. *Ecco plus quāti tonas & Salomen hic.* Sic & aliās fides gētiū qualisqualis, perfidia Iudæorū præfertur, Matth. 8. Luc. 7. Tyrus quoque & Sidō Hierosolymitanis, Corozainis & Bethsāidanis anteferuntur, Matth. 11. Luc. 10.

E iij

*Niniuitæ et
Regina
Austri
quonodo cō
demnabunt
Iudæicam
generatio-
nem.*

*13. Reg. 10
1. Paral. 9*

Samaria quoque adeò non peccauit, atque Iudæa, Ezechiel. 16. Denique Sodoma & Gomorra dicuntur remissius habituræ iudicium, quàm Iudæi.

*Dei & sacramentorum
contemptores,
eadem que
pertinaces
Iudæos ma-
net senten-
tia.*

*Supplicio
maximo di-
gni erunt
Christiani,
nisi Ethni-
cos virtute
superent.*

*Iudicium
quàm terri-
bile maneat
relabentes.*

Obseruent hæc verbi Dei & sacramentorum contemprores: hos enim, nisi resipuerint, eadem manet sententia, quàm hic Christus impiis comminatur Iudæis. Sicut enim hæc memoriæ tradita ad nostram eruditionem & exhortationem. Si iudiciū condensationis Iudæorū tantū & tale, quantū & quale putabimus & credemus fore nostrum, si exemplo Iudæorū Christo non obtemperauerimus: Quis nō videat, nobis in extremo die Lacedæmonios Heroas, Socratē, Athenienses, Areopagitas, Romanos item Quirites iustitiæ æmulos, conferendos: O qualis cōfusio, o qualis dolor tunc erit illis, qui videbūt se virtutibus ciuilibus ab Ethnicis superari. O quantus erit eorum numerus Pseudochristianorum, qui tunc per tales Ethnicos Heroas & Philosophos condemnabitur: Sequuti sunt illi lumen rationis humanæ. Accelsit nobis ad lumen hoc, lux cælestis gratiæ: maximo ergo supplicio digni erimus, nisi Ethnicos omnes in omni virtutum genere superauerimus. Surgat ergo è graui socordiae somno anima Christiana, caueat ne tantam negligat salutem dormitando in mortem secundam. Reginæ Sabæ exemplo requiramus Dominum dum propè est: Niniuitarum exemplo obaudiamus præceptori tanto, dum adhuc tempus & locus pœnitentiæ nobis superest. Tempus instat quando operari non licet, Iudex ante ianuam adstat. Beatus, qui dum operandi tempus est, verbum Dei audit & custodit, Luca 11.

4 Quartò, Terribili quadam similitudine ostendit, quàm terribile eos maneat iudiciū, qui post acceptam notitiam veritatis, & pœnitentiam factam ab operibus mortuis, rursus in semetipsis crucifigunt filium Dei, & tanquam canes reuertuntur ad vomitum, Hebræ. 6. 2. Pet. 2. Hos enim malus ille daemon, tanquam leo rugiens, & ambulans per loca arida & inaquosa, id est, homines nullo cælestis gratiæ rore perfoscos, bonis operibus, quæ præparauit Deus, ut in ipsis ambulemus, destitutos, quum nulla verarum virtutum præfidia

reperiat, circuit, quærens ut deuoret: & adsumptis septem aliis spiritibus multò se nequioribus, huiusmodi homines vacuos, id est, ut loquitur Petrus, 2. cap. Epistolæ 2. fontes siccos, nubes sine aqua, & arbores autumnales, id est, iuxta B. Augustinum lib. de fide & operibus, cap. 25. qui fidem, quam acceperunt, bonis operibus non exornant, ingressus inhabitat: quo fit ut fiant nouissima illorum peiora prioribus. Quibus melius esset, non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti, &c. 2. Pet. 2. Nisi enim in sanctitate & iustitia ambulemus omnibus diebus nostris post acceptam notitiam veritatis, fiet, ut ista Christi comminatio nobis etiam contingat.

Sequitur parua historia de Spirituali Christi cognitione. Adhuc autem eo loquente, aduenerunt cognati Iesu, comitantes matrem ipsius, cupientes illum conuenire de rebus aliquibus familiaribus, qui more Hebræo fratres dicuntur, sicut patet in Abraham & Loth, Genes. capi. 13. B. Hieronymus dicit credibile esse quendam insidiatorem malignum B. Virginem cum fratribus Domini aduocasse & adduxisse, ut Christum, qui dixerat se à cælo venisse, filiumque Dei se esse re ipsa mendacij argueret, & præsentia mediocris (imò minimæ) sortis cognatorum, ut plebeium hominem ipsum esse euidenti argumento ex contemptu conuinceret. At Dominus docere volens minimum esse tribuendum talibus affectibus, quoties negotium agitur Euangelicum, pluris autem faciendam cognationem animorum, quàm corporum, quæ virtute, non sanguinis propinquitate, conciliatur, quæque longè patet latius, nuntianti respondit: *Quis est mater mea*, &c. Non quòd negaret matrem & fratres, exire cōtempnit, cum & ipsi matri, in passione positus, maximæ sollicitudinis tribuerit affectum, sed quòd responderet insidianti & importunanti, Si vere, inquit, cognatos nosse vultis, quisque mihi sunt charissimi, spirituum affinitatem magnifico, non corporum. Hæc sibi quisque parare potest, ut per Euangelium noua natiuitas est, ita est & cognatio. Non agnosco cognationem cuiusquam, nisi per fidem renascatur ex patre cælesti, iamque ut filius germanus patri cælesti ad

*Fontes sicci,
nubes sine
aqua & ar-
bores autū-
nales qui di-
cantur.*

*Luc. 8.
Marc. 3.*

*Hebraeus
est familia-
res aut co-
gnatos voca-
re fratres.*

*Ut est nati-
uitas spiri-
talis, ita &*

FERIA QUINTA

*Propinqui Ie
su vero qui
sunt.*

Æterna vocati obtemperet. Isti sunt mater mea, qui me
quotidie in credentium animis generant, qualis Paulus
fuit, Galat. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec
formetur Christus in vobis, 1. Corin. 4. In Christo enim
Iesu per Euangelium ego vos genui: Isti fratres mei qui fa-
ciunt opera Patris mei. Fratres eius sciamus ergo nos
esse & matrem, si voluntatem patris eius implemus, ut &
coheredes simus eius, qui non in sexibus, sed in factis
discernit, Nec ab hac cognatione excluditur dignissima
omnium beatissima Virgo, quæ verbum Dei ardentius
audiuit, quæ accuratius custodiuit, & quæ plus cæteris
omnibus laborauit, & quæ supra hæc omnia, etiam vera
mater veri Saluatoris nostri Iesu Christi, mater & propin-
qua carne, mater & propinqua spiritu.

EPILOGVS.

*Dānatio Iu
den cur pre
dicatur.*

Dominus & preceptor noster Iesus Christus in æternum bene-
dictus, in hac Evangelica lectione obstruit ora mendacissima &
blasphema Iudeorum, eorum damnationem ipsis ob oculos ponem,
quæ illis idem contigit, quod eius verbum non receperunt. P. annua
appendix historica in eodem hodierno Euangelio annexa est, in qua
fit evidens, quisnam Christo Iesu proximior sit, nempe, qui sermo-
nem Dei audiunt, & faciunt illum, Luc. 8.

FERIA QUINTA PRIMAE HEB-

DOMADAB QVADRAGESIMAE, EPI-

stola, Ezechielis 13.

Et factus est sermo Domini ad me, dicens, Quid
est quod inter vos parabolam vertitis in prouer-
bium istud in terra Israël? dicentes: Patres come-
derunt Yuam acerbam, & dentes filiorum ob-
stupefuerunt, &c. Finis Epistolæ: Et iustus est:
Vita Vinet, ait Dominus Deus.

*Aequitas
& iustitia
diuina.*



In hac Epist. Prophetica, quæ docet omnia
ea prouerbia sē sui Catholico pugnātia abo-
lenda, ea verò, quæ sana, diuina & vera sunt
pbāda & amplectēda, cōcionatur Propheta
i Primò, De diuina æquitate, quæ reddit iustis præ-
mia: deinde de diuina iustitia, quæ reddit iniustis suppli-